

SPECIMEN VOCIS « RATIO »
LEXICIS LATINIS MEDII Aevi
AD RES PHILOSOPHICAS PERTINENTIBUS
APTUM

Occasionem huius speciminis apparandi ex iudicio docti viri De Rijk de notionibus philosophicis, logicis, grammaticalibus et ita porro in lexicis philosophicis Mediae quae dicitur Aetatis necessarie discernendis cepimus¹.

Auctores ab Ioanne Scoto Eriugena primo maioris momenti philosopho Mediae Aetatis usque ad saeculi XIII initium novo imbutum spiritu comprehendunt. Ipsi autem philosophi necnon eorum opera propter pondus philosophicum seleguntur, ita ut maiora philosophiae genera et inclinationes philosophicae graviores locum habeant, e.g. praescholastica, prima scholastica, auctores quaestionem universalium tractantes, schola Carnotensis, mystica, summarum et sententiarum scriptores.

Significationes singulae ad certos referuntur sensus generaliores. Sensus invicem ita ordinari est temptatum, ut alius alium logice sequeretur. Sensus primarius mathematicus est et significatio primaria calculi ; calculus invicem in ratiocinationibus adhibitus ad sensum respicit logicum. Ratio vero ratiocinationes efficiens a sensu indicatur gnoseologico. Ipsa ratiocinandi facultas sensum psychologicum constituit. Membra dein corporis ratiocinantia sensum evocat biologicum. Effectus denique ratiocinationum in doctrina ad sensum epistemologicum spectat, in rebus autem usitatis — ad illum ethologicum. Postea redeundum est partim ad sensum mathematicum, quia

1. DE RIJK L. M., *La lexicographie du latin médiéval et l'histoire de la logique*, in : *La lexicographie du latin médiéval et ses rapports avec les recherches actuelles sur la civilisation du moyen-âge*, Colloques internationaux du Centre national de la recherche scientifique, n. 589, Paris 18-21 octobre 1978, Paris, Éditions du CNRS 1981, pp. 289-293.

in sensu aetiologo-epistemologico vis locutionis mathematicae *rationem reddere* conspici licet. Item ex sensu mathematico recta via sensus methodologicus provenit, quippe cuius significatio frequentissima *methodus* seu *modus* in conformatione vel configuratione mathematica innitatur. Etiam sensus cosmologicus ordinem dispositionemque partium insinuando non longe a sensu primario mathematico distat. Sensus autem glottologicus convenientia significationis interiore cuiusdam vocis impletur. Deinceps sensus ontologicus fundamentum alicuius rei ratiocinationibus asserendae usque ad fundamenta rerum existentium universe ac generatim dilatatum comprehendit. Tandem sensus theologicus rationem gno-seologicam universaliter extentam repraesentat. Interdum fit ut propter quandam fluctuationem temperatio vel permixtio sensuum fiat, ut in sensu logo-epistemologico, logo-aetiologico, epistemologo-ontologico.

Index operum et abbreviationum

Ad Abael. = ROSCELINUS - Reiners J., *Der Nominalismus in der Frühscholastik, Ein Beitrag zur Geschichte der Universalienfrage im Mittelalter*, Nebst einer neuen Textausgabe des Briefes Roscelins an Abälard, in: *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, VIII, 5, Münster in Westfalen 1910.

Comm. Gilb. = GILBERTUS PORRETANUS - *The Commentaries on Boethius by Gilbertus of Poitiers*, ed. by Häring N. M., Toronto, Pontifical Institute of Medieval Studies 1966 (= *Studies and Texts*, 13).

Comm. in Dion. = HUGO SANCTI VICTORIS - *Hugonis de Sancto Victore Commentaria in Hierarchiam coelestem sancti Dionysii Areopagitae*, *Patrologia Latina* 175, coll. 923-1154, ed. J.-P. Migne, Lutetiae Parisiorum 1854.

Comm. Theod. = THEODORICUS CARNOTENSIS - *Commentaries on Boethius by Thierry of Chartres and His School*, ed. by Häring N. M., Toronto, Pontifical Institute of Medieval Studies 1971 (= *Studies and Texts*, 20).

Cosmogr. = BERNARDUS SILVESTRIS - *Bernardi Silvestris Cosmographia*, edited with introduction and notes by Dronke P., Leiden, E.J. Brill 1978 (= *Textus minores*, LIII).

Cur Deus = ANSELMUS CANTUARIENSIS - *Cur Deus homo*, in : *S. Anselmi Cantuariensis archiepiscopi Opera omnia*, v. I, ad fidem codicum recensuit Schmitt F.S., Stuttgart-Bad Cannstatt, Friedrich Frommann Verlag 1968, pp. 37-133.

De div. omnipot. = PETRUS DAMIANUS - *Die Briefe des Petrus Damianus*, herausgegeben von Reindel K., Teil 3 : Nr. 91-150, München 1989 (= *Monumenta Germaniae Historica. Die Briefe des deutschen Kaiserzeit*, IV. Band), n. 119, pp. 341-384.

De eod. = ADELARDUS BATHONIENSIS - *Des Adelard von Bath Traktat De eodem et diverso*, ed. Willner H., in: *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, Texte und Untersuchungen, IV, 1, Münster in Westfalen 1903.

De grat. = BERNARDUS CLARAVALLENSIS - *De gratia et libero arbitrio*, in : *Sancti Bernardi opera*, v. III, Tractatus et opuscula, ad fidem codicum recensuerunt Leclercq J., Rochais H. M., Romae, Editiones Cistercienses 1963.

De nat. corp. = GUILLELMUS DE SANCTO THEODORICO - *Guillaume de Saint-Thierry, De la nature du corps et de l'âme*, texte établi, traduit et commenté par M. Lemoine, Paris, Les Belles Lettres 1988.

De planctu nat. = ALANUS DE INSULIS - *Alani ab Insulis De planctu naturae*, *Patrologia Latina* 210, coll. 431-482, ed. J.-P. Migne, Lutetiae Parisiorum 1855.

De rat. = GERBERTUS AURELIACENSIS - *Gerberti Aureliacensis De rationali et ratione uti*, *Patrologia Latina* 139, coll. 159-168, ed. J.-P. Migne, Lutetiae Parisiorum 1853.

De sacram. = HUGO SANCTI VICTORIS - *Hugonis de Sancto Victore De sacramentis christianae fidei*, *Patrologia Latina* 176, coll. 173-618, ed. J.-P. Migne, Lutetiae Parisiorum 1854.

De Trin. = RICARDUS SANCTI VICTORIS - *Richard de Saint-Victor, De Trinitate*, texte critique avec introduction, notes et tables, publié par Ribailly J., Paris, Librairie philosophique Vrin 1958 (= *Textes philosophiques du Moyen âge*, VI).

De unit. Dei = ACARDUS SANCTI VICTORIS - *Achard de Saint-Victor, L'unité de Dieu et la pluralité des créatures (De unitate <Dei> et pluralitate creaturarum)*, texte latin inédit du manuscrit de Padoue (Antoniana, Scaff. V, 89) établi, traduit et présenté par E. Martineau, Saint-Lambert des bois, Éditions du Franc-Dire, Authentica 1987.

Dialog. = PETRUS ABAELARDUS - *Petrus Abaelardus, Dialogus inter Philosophum, Iudaeum et Christianum*, Textkritische Edition von Thoma R., Stuttgart-Bad Cannstatt, Friedrich Frommann Verlag 1970.

Didasc. = HUGO SANCTI VICTORIS - *Hugonis de Sancto Victore Didascalion, De studio legendi*, a critical text, ed. Buttimer C. H., Washington, The Catholic University Press 1939, Nachdruck Cleveland 1985 (= *Studies in Medieval and Renaissance Latin*, X).

Ethic. Abael. = PETRUS ABAELARDUS - *Peter Abelard's Ethics*, an edition with introduction, English translation and notes, by Luscombe D. E., Oxford, Clarendon Press 1979.

Exp. Clarenb. = CLARENBALDUS ATREBATENSIS - *Expositio Magistri Clarenbaldi super librum Boetii De Hebdomadibus*, in: *Life and Works of Clarenbald of Arras, a Twelfth-Century Master of the School of Chartres*, ed. by Häring N. M., Toronto, Pontifical Institute of Medieval Studies 1965, pp. 189-221 (= *Studies and Textes*, 10).

Fons philos. = GAUFRIDUS SANCTI VICTORIS - *Godefroy de Saint-Victor, Fons philosophiae*, texte publié et annoté par Michaud-Quantin P., Namur, Éditions Godenne - Louvain, Éditions Nauwelaerts - Lille, Librairie Giard 1959 (= *Analecta mediaevalia Namurcensia*, 8).

Glos. Plat. = GUILLELMUS CONCHENSIS - *Guillaume de Conches Glossae super Platonem*, texte critique avec introduction, notes et tables par Jeuneau E., Paris, Librairie philosophique Vrin 1965.

Metal. = IOANNES SARESBERIENSIS - *Ioannis Saresberiensis Metalogicon*, ed. Hall J. B., auxiliata Keats-Rohan K. S. B., Turnholti, Typographi Brepols editores Pontificii 1991.

Microcosm. = GAUFRIDUS SANCTI VICTORIS - *Godefroy de Saint-Victor, Microcosmus*, texte établi et présenté par Delhaye P., Lille, Facultés catholiques - Gembloux, Éditions J. Duculot 1951.

Monol. = ANSELMUS CANTUARIENSIS - *Monologion*, in: *S. Anselmi Cantuariensis archiepiscopi Opera omnia*, v. I, ad fidem codicum recensuit Schmitt F.S., Stuttgart-Bad Cannstatt, Friedrich Frommann Verlag 1968, pp. 1-87.

Periph. = IOANNES SCOTUS ERIUGENA - *Joannis Scoti Eriugena De divisione naturae, Patrologia Latina* 122, coll. 441-1022; *Joannis Scoti Eriugena Periphyseon* liber primus, liber secundus, liber tertius, ed. Sheldon-Williams I.P. (with the collaboration of Bieler L.), Dublin 1968-81 (= *Scriptores Latini Hiberniae*, VII, IX, XI).

Philosoph. Abael. = PETRUS ABAELARDUS - *Pietro Abelardo, Scritti filosofici: Editio super Porphyrium, Glossae in Categorias, Editio super Aristotelem de interpretatione, De divisionibus, Super topica glossae*, ed. Dal Pra M., Roma-Milano 1954 (= *Nuova biblioteca filosofica*, ser. II, 3).

Policr. = IOANNES SARESBERIENSIS - *Ioannis Saresberiensis episcopi Carnotensis Policratici sive de nugis curialium et vestigiis philosophorum libri VIII*, recognovit et prolegomenis, apparatu critico, commentario, indicibus instruxit Webb C.C.I., tom. I, London 1909; tom. II, Oxonii 1909, Minerva G.M.B.H., Unveränderter Nachdruck, Frankfurt a. M., 1965, 2 voll.

Prosl. = ANSELMUS CANTUARIENSIS - *Proslogion*, in: *S. Anselmi Cantuariensis archiepiscopi Opera omnia*, v. I, ad fidem codicum recensuit Schmitt F.S., Stuttgart-Bad Cannstatt, Friedrich Frommann Verlag 1968, pp. 89-139.

Quaest. nat. = ADELARDUS BATHONIENSIS - *Die Quaestiones naturales des Adelardus von Bath*, ed. Willner H., in: *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, Texte und Untersuchungen, XXXI, 2, Münster in Westfalen 1934.

Quest. de div. pag. = ROBERTUS MELODUNENSIS - *Œuvres de Robert de Melun*, tome I, *Questiones de divina pagina*, ed. Martin R.M., Louvain, Université catholique et collèges théologiques O. P. et S. J. de Louvain 1932 (= *Spicilegium sacrum Lovaniense, Études et documents*, 13).

Sent. Lomb. = PETRUS LOMBARDUS - *Magistri Petri Lombardi Parisiensis Episcopi Sententiae in IV libris distinctae*, editio tertia ad fidem codicum antiquiorum restituta, 2 voll., Grottaferrata Romae, Editiones Collegii S. Bonaventurae Ad Claras Aquas 1971 (= *Spicilegium Bonaventurianum*, cura P. P. Collegii S. Bonaventurae Ad Claras Aquas, IV, V).

Sent. Melod. = ROBERTUS MELODUNENSIS - *Œuvres de Robert de Melun*, tome III, *Sententiae*, volume I, volume III, ed. Martin R. M., Louvain, Université catholique et collèges théologiques O.P. et S.J. de Louvain 1947 (= *Spicilegium sacrum Lovaniense, Études et documents*, 21).

Sent. Pictav. = PETRUS PICTAVIENSIS - *Sententiae Petri Pictaviensis I*, by Moore P. S., Dulong M., Notre Dame, Indiana 1943; *Sententiae Petri Pictaviensis 2*, Moore P. S., Garvin J. N., Dulong M., Notre Dame, Indiana 1950 (= *Publications of Medieval Studies*, The University of Notre Dame, VII, XI).

Summ. Crem. = PREPOSITUS CREMONENSIS - *The Summa contra haereticos, ascribed to Praepositinus of Cremona*, by Garvin J. N., Corbett J. A., Notre Dame, Indiana, University of Notre Dame Press 1958 (= *Publications of Medieval Studies*, The University of Notre Dame, XV).

Syst. Sent. = ANSELMUS LAUDUNENSIS - *Anselm von Laon, Systematische Sentenzen*, von Bliemetzrieder F. P., in: *Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, Texte und Untersuchungen, XVII, 2/3, Münster in Westfalen 1919.

RATIO — I. Sensus mathematicus A) Computatio, calculus *Quest. de div. pag. 106* et sic sit equalitas in ratione dati et accepti ; *Policr. 645 C* Sed subputata ratio temporum, quae in cronicis continentur historiis, docet eos nequaquam contemporaneos extitisse. B) Calculus, calculandi modus *Microcosm. Cap. 1* In una enim et eadem scriptura diligenti lectori et modus talenti quod ei mutuum et ratio usure quam ab eo exigimus apparebit. C) Proportio *Glos. Plat. CXIV* At vero non est Dei qui non vult nisi honestum et utile, velle dissolvi quod est iunctum, quantum ad partes, et modulatum, quantum ad qualitates, bona ratione id est equali proportione. D) Modus agrorum metiendorum *De eod. p. 28, l. 12* quicumque rationem terrarum mente concipiat. E) Calculus, fundamentum ponderatum *De eod. p. 32, l. 6* zodiacum in duodecim partes rata ratione dispertit. F) *Rationem habere, exigere, reddere Metal. I, 17, 12* Ad haec non modo pedum aut temporum ibi ratio habenda est, sed aetatum, locorum, temporum, aliorumque quae singillatim referre ad rem praesentem non attinet ; *Sent. Pictav. I, 8, 157-159* Hoc habet auctoritas, quia si distincte ageret cum quolibet, de minutis et quadrantibus exigeret rationem ab unoquoque ; si autem persequeretur singula, non posset homo de singulis reddere rationem.

II. Sensus logicus A) Fundamentum asserendi, argumentum *Philosoph. Abael. p. 298, l. 23-25* Argumentum est ratio etc. Ratio hoc nomen tribus modis accipi solet ; nomen scilicet discretionis animi, et nomen diffinitionis iuxta illud Aristotelis ratio substantiae, et nomen vocum quae convenienter in ratiocinatione disputationis inducuntur, quae quidem acceptio huic loco congruit et maxime est usitata. Definitiones *Comm. Theod. De Trin. prol. 11* Hanc formatam rationibus i.e. argumentis adhibitis ad solutionem ; *Metal. II, 5, 35* Est autem hic ut opinor ratio quicquid adducitur, vel adduci potest, ad statuendam opinionem vel sententiam roborandam. Epitheta *De Trin. f. 172b* demonstrativa ratione collegimus ; *Sent. Melod. Praef. p. 18, l. 28* Ut enim ad aliquid asserendum sive contradicendum pro ratione sufficiente ac necessaria recipi solet quod Evangelium hoc confirmat vel contradicit. Ratio analogiae opposita *Sent. Melod. l. I, pars III, XXXIII* De hoc, cuiusmodi rationem querant qui rationem querunt et non similitudinem. B) Ratiocinatio, syllogismus Ratio exemplis opposita *Policr. 452A* Nec perspicacioris ingenii moveat sensum, si in tantae maiestatis scrutinio exemplis deficiamus, nec rationibus habundamus, cum

admirationem ratio tollat et exemplorum inductio singularitatem excludat. *Ratio verbum cognominatum argumentationis et tractatus Comm. Theod. De hebdom. 65* rationis i.e. argumentationis. Vel rationis i.e. tractatus. C) Argumentum, ratiocinatio *Syst. Sent. p. 76, fol. 52c, l. 8* Quod quidam negant hac ratione: si anima, inquit propagatur ab anima, vel secundum totum, vel secundum partem. D) Logica ratiocinationum, logica naturalis, principium logicum *Exp. Clarenb. I, 1* Eam logicae partem quae « dialectica » dicitur quidam diffiniunt non solum ab ipsius genere sed etiam a materia, in qua, et instrumento, per quod, in materia operatur rationem colligentes ; *Monol. p. 47, l. 7* Etenim cum omnia quae de illa supra potuit animadvertere, rationis robur inflexibile teneant, illud me maxime cogit de illa diligentius discutere. E) Intentio *Metal. I, 18, 49* Est autem teste Isidoro figura vitium cum ratione.

III. Sensus logo-epistemologicus A) Ratiocinatio, sententia, pars doctrinae *Monol. p. 50, l. 27* Eius enim quod non fuit, nec futurum est, nullum verbum esse potest. Verum secundum hanc rationem, si numquam ulla praeter summum spiritum esse essentia, nullum omnino esset in illo verbum. B) Scientia logica *De nat. corp. 87* Data autem anima quaerendum est quid sit, quare sit, quomodo sit. Cum quid sit quaerimus, spectat ad physicam, quare sit ad rationem, quomodo sit spectat ad moralitatem.

IV. Sensus logo-aetiologicus Fundamentum-*causa Cosmogr. 212v - 213r* Suberat ratio unde amor, unde parta sodalitas, ut componencia compositum membra corpus efficerent, et divisa se traderet pluralitas unitati... Suberat ratio unde squamas, unde plumas alterutris Natura comparet tegumentum, unde avibus lingua dulcissima, pisces perpetuo conticescunt... Suberat ratio cur leonibus et apris exandencior iracundia, cur in cervo vel lepore relanguit vis ignita... Suberat ratio unde illa seminibus, succis altera, hec efficacior in radice.

V. Sensus gnoseologicus Mens, animus ratiocinans *Definitiones Metal. IV, 14, 12-13-18* Sollicitatur ergo ut firma perceptione gaudeat, indubitatoque iudicio quod potest ratio appellari. Siquidem ratum et firmum est rationis examen. Ratio enim, id est sincere iudicii firmitudo, paucorum est ; *Metal. IV, 15, 7-10* Siquidem ratio est potentia spiritualis naturae, discretiva rerum corporalium, et incorporalium, quae res appetit firmo et sincero examine iudicio. Ipsum quoque iudicium eius, censetur nomine rationis ; *Metal. IV, 16, 5-8* Rationem dico animi probabilem motum, qui per ea quae conceduntur

et nota sunt ad aliquid incognitum ducit, perveniens ad veritatem arcanum. Ergo et potentia, et potentiae motus, ratio appellatur; *Metal. IV, 30, 6-7* Est ergo ratio, quidam mentis oculus. Et ut latius describatur, ratio est quoddam instrumentum, quo mens omnes sensus suos exercet; proprium eius est, investigare et apprehendere veritatem; *Glos. Plat. XXXIV* Ratio vero est vis anime qua diiudicat homo proprietates corporum et differentias eorum que illis insunt. Ratio et anima *Comm. Theod. De Trin. II, 3* Anima igitur constat ex his viribus: sensu imaginatione ratione intelligentia atque intelligibilitate; *Comm. Theod. De Trin. II, 6* Ratio autem est vis anime sui agilitate sese movens atque abstrahens a pluribus eiusdem nature generalis vel specialis eam ipsam quam ipsa participant formam: sic tamen ut ipsa inmateria subiacet mutabilitati velut cum ab omnibus hominibus abstraho hanc in quam conveniunt naturam quod ipsi scilicet homo sunt; *Glos. Plat. CXXXI* Est enim nature anime uti ratione; non uti vero est corruptionis; *De sacram. 378D* In anima est ratio: et cum sint unum, aliud anima agit aliud ratio: anima vivimus, ratione sapimus; *Didasc. 744A* sed vis anime tertia, quae secum priores alendi ac sentiendi trahit, hisque velut famulis atque obedientibus utitur, eadem tota in ratione est constituta, eaque vel in rerum praesentium firmissima conclusione, vel in absentium intelligentia, vel in ignotarum inquisitione versatur; *Sent. Pictav. II, 20, 63-64* Solent etiam aliter distingui partes anime due: ratio et sensualitas. Ratio et mens *De sacram. 219A* Hoc autem ipsa ratio erat et mens ratione utens quo ad primam similitudinem Dei facta erat. Ratio et spiritus *Microcosm. Cap. 19* Secundum materiam mundus constat ex quatuor elementis, et spiritus humanus ex quasi materia constat ex quatuor qualitibus elementaribus, videlicet sensualitate, imaginatione, ratione et intelligentia... Tercia vero, id est ratio, quasi aer subtilis, obtusa et mobilis, duabus predictis subtilitate et mobilitate sua se circumfundit, causas et naturas eorum investigando. Sensus, memoria, experimentum et ratio *Metal. IV, 8, 43* Fit ergo ex sensu memoria, ex memoria multorum saepius iterata, experimentum, ab experimentis scientiae aut artis, ratio manat. Sensus, ratio, intellectus et sapientia *Metal. IV, 18, 2-3-4-5* Qua vero proportione ratio transcendit sensum, ea sicut Plato in politica auctor est, excedit intellectus rationem. Nam intellectus assequitur quod ratio investigat: siquidem in labores rationis intrat intellectus, et sibi ad sapientiam thesaurizat, quod ratio praeparans acquisivit. Sensus, imaginatio,

ratio, et intellectus *Glos. Plat. XXXIV* Sed quoniam diversa genera rerum scientie subiacent idemque sepe diversis modis percipitur, ad diversa percipienda vel idem diversa modo, diversas illi contulit virtutes scilicet sensus, imaginationem, rationem, intellectum... Ratio vero est vis anime qua diiudicat homo proprietates corporum et differentias eorum que illis insunt. Hec habet principium ab imaginatione et sensu : de eis enim que vel sentimus vel imaginamur discernimus. Ratio, mens et anima : Pater, Filius et Spiritus Sanctus *Sent. Melod. lib. I, pars IV, VIII, p. 110* Sicut ergo ista, id est anima, mens, ratio, in essentia idem sunt, licet proprietatibus differant que personales non sunt, ita divina essentia Pater est ac Filius et Spiritus Sanctus, qui proprietatibus personalibus plures sunt, propter quod eam diversas esse personas vere confitendum est. Distinctiones ipsa in ratione *Sent. Lomb. lib. II, dist. XXIV, cap. V, 1* De ratione, quae habet duas partes quantum ad officia. Ratio vero vis animae est superior, quae, ut ita dicamus, duas habet partes vel differentias : superiorem et inferiorem. Secundum superiorem supernis concipiendis vel consulendis intendit; secundum inferiorem ad temporalium dispositionem prospicit ; *Sent. Lomb. lib. II, dist. XXIV, cap. VIII, 1* De spirituali coniugio viri et mulieris in nobis. Atque inter hunc virum et hanc mulierem est velut quoddam spirituale coniugium naturalisque contractus, quo superior rationis portio quasi vir debet praeesse et dominari ; inferior vero, secundum Apostolum, non debet habere velamen, sed mulier. Ubi ratio invenitur *De eod. p. 32, l. 33* ipsius etiam capitis partes diversas diversis officiis dedicavit - in porta enim imaginatur, in medio ratione utitur, in puppi, id est occipitio, memoriam abscondit. Rationis officia *Quaest. nat. p. 11, l. 35-36* Non enim intellegunt ideo rationem singulis datam esse, ut inter verum et falsum ea prima iudice discernatur. Nisi enim ratio iudex universalis esse deberet, frustra singulis data esset ; *Metal. I, 1, 19* Dum itaque naturam fecundat gratia, ratio rebus perspiciendis et examinandis invigilat, naturae sinus excutit, metitur fructus et efficaciam singulorum. Etymon *Comm. Theod. De Trin. II, 28* Ibi opinione uti debemus atque imaginatione ubi dicimus utendum esse ratione que a reor reris dicitur, non a rato. Figurative *De nat. corp. 62* Quasi enim regina sedens ratio in media civitatis suae arce, portis sensuum undique patentibus, domesticos domestica, peregrinos peregrina ingerentes, suo unumquemque vultu et habitu discernit et suscipit, et collocat suo unumquemque scientiae loco, per genus

etiam et cognationes et gentes singulos discernens, singulisque suas memoriae mansiones distribuens. Attributa et epitheta *Microcosm. cap. 29* Sed ratio magistra eligendorum discernit inter fugienda et quaerenda, commoda scilicet et incommoda e utrisque alia eligens, alia proiciens, itaque ratio iudex est duarum ; *Microcosm. cap. 28* Quod utique dormitante ratione potest aliquando contingere ; *Poligr. 415A* dum rationis libramine rerum omnium vires pensat ; *De Trin. f.142b* quod ratio ratiocinando compellit de Deo nostro sentire ; *Metal. I, 1, 53* ratio scientiae virtutumque parens, alitrix et custos. Ratio et auctoritas *Exp. Clarenb. II, 6* In expositione superioris quaestionis pro captu ingenii nostri de quaestione multa diximus et tam auctoritatibus quam rationibus asserta de ipsa communivimus ; *Glos. Plat. XIX* Quod et ratione possumus probare et ex verbis auctoris conicere ; *Periph. 513B* Nil enim aliud mihi videtur esse vera auctoritas nisi rationis virtute reperta veritas. Ratio et fides *Comm.Theod. De Trin. I, 15* Inde est illud quod fides non habet meritum cui humana ratio praebet experimentum. Quantoque minus rationis humane habemus in fide nostra tanto maius meritum promerebitur. Ratio et veritas *Metal. IV, 39, 3* Veritas autem lux mentis est et materia rationis ; *Metal. IV, 39, 30-31-32* At in creaturis aliud veritas, aliud ratio. Nam veritas imago quaedam divinitatis est, quam in rebus ratio quaerit et invenit; ratio virtus aut mentis agitatio est, quae occupatur in perspicentia veri. Ratio et verbum *Metal. I, 1, 59* illa dulcis et fructuosa coniugatio rationis et verbi. Ratio et voluntas *De grat. p. 168, l. 2-3-4* Porro voluntas est motus rationalis, et sensui praesidens, et appetitui. Habet sane, quocumque se volverit, rationem semper comitem et quodammodo pedisequam: non quod semper ex ratione, sed quod numquam absque ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est per eius quasi ministerium, contra eius consilium sive iudicium ; *De grat. p. 168, l. 10* Est vero ratio data voluntati ut instruat illam, non destruat ; *Sent. Pictav. II, 22, 17* Liberum igitur arbitrium in duobus consistit, in voluntate scilicet et ratione. Ratio et sapientia *Comm. Theod. Comm. Vict. De Trin. 17* Lux illuminata est sapientia nostra vel ratio que dicitur lux quia sicut lux fugat tenebras exteriores, i.e. ignorantias mentis ; *De planctu nat. 455B* Insipiens ratio, demens prudentia, tristis/ Prosperitas, risus flebilis, aegra quies ; *Didasc. 743A* illius sapientiae, quae nullius indigens, vivax mens et sola rerum primaeva ratio est. Ratio humana et ratio divina *Metal. IV, 38, 18-19-20*

Ratio vero nequaquam contrariorum susceptibilis est, eo quod divina ratio immutabilis substantia est, angeli vero vel hominis ratio substantia non est ; *Comm. in Dion. 1054C* Si cor tuum capere potest, et comprehendere ea quae facis et quae explicas opera, universa ratione intus dictante disponis, et quae facturus es omnia prius in ratione concipis ; et cum ad opus exeunt, a ratione non recedunt: quomodo in aeterna ratione Conditoris non esse potest omne quod factum est ? Ratio humana et providentia divina *De sacram. 269B* Propterea rationi humanae adjuncta est providentia divina, quatenus ratio humana in parte una vigilaret contra negligentiam, providentia divina in parte altera staret contra violentiam. Ratio et mundus *De sacram. 231D* Alia enim sunt ex ratione, alia secundum rationem, alia supra rationem : et praeter haec quae sunt contra rationem. Ex ratione sunt necessaria, secundum rationem sunt probabilia, supra rationem mirabilia, contra rationem incredibilia. Ratio et sensualitas *De planctu nat. 443C* sic in homine sensualitatis rationisque continua reperitur hostilitas. Ratio et artes *Metal. I, 11, 51-63* Ratio eorum quae sensibus aut animo occurrunt examinatrix animi vis est, et fidelis arbitra potiorum... artium natura mater est ; *Metal. I, 12, 13* Unde sicut artes dictae sunt eo quod artant regulis vel praeceptis, vel a virtute quae Graece ares dicitur, et animos roborat ad percipiendas vias sapientiae, aut a ratione cui alimenta et incrementa praestant, quae a Graecis arso nominantur. **VI. Sensus psychologicus** Rationandi facultas et actio *Monol. p. 14, l. 7* Cum tam innumerabilia bona sint, quorum tam multam diversitatem et sensibus corporeis experimur, et ratione mentis discernimus. **VII. Sensus biologicus** Pars cerebri *Cosmogr. 216r* Totam igitur capitis continenciam tres secernens in thalamos, eos trinis anime efficiencis consecravit. In sincipite provisum est, fantasia rerum formas anticipet, et rationi renunciet que viderit universa. In occipitis reduciore thalamo memoria conquiescat, ne, si primo visionum iacisset in limine, figurarum frequentissimis perturbaretur incursibus. Primam interiacet et ultimam ratio media, de rebus alterutrius certo iudicio provisura ; *De nat. corp. 25* Est autem prora anterior pars cerebri, in anteriore parte capitis locata, puppis vero posterior pars cerebri in posteriore parte capitis posita. Unaquaeque autem quasi proprium domicilium habet ventriculum, in quo virtus sua continetur. Inter quos medius ventriculus rationem continet et intellectum. **VIII. Sensus epistemologicus** A) Scientia *Glos. Plat. V* Et est theologia ratio

de divinis: theos enim est deus, logos ratio ; *Didasc. 763B* Logica dividitur in grammaticam et in rationem disserendi; *Didasc. 763C* De ratione autem disserendi Boethius dicit quod et pars esse possit et instrumentum ad philosophiam, sicut pes, manus, lingua, oculi, etc. partes sunt corporis et instrumenta ; *Didasc. 764A* Ratio disserendi integrales partes habet inventionem et iudicium, divisivas vero demonstrationem, probabilem, sophisticam. B) Τόπος scientiae *Comm. Theod. De Trin. I, 1* ad ultimum distinctis inter se disciplinis atque ex eis rationibus semper sumptis quibus ea teneri et confirmari possit diutius explicando. C) Sententia, pars doctrinae *Sent. Melod. lib. I, pars III, XXXI, p. 93, l. 7* Illa quoque ratio Apostoli, qua docet. **IX. Sensus aetiologo-epistemologicus** *Rationem reddere* - explanatio, enucleatio *Exp. Clarenb. III, 24* Cur enim adamas ferrum trahat, rationem reddere nescimus ; *Cur Deus p. 40* ad eorum quae credimus rationem intuendam. **X. Sensus epistemologo-ontologicus** Fundamentum scientiae *Glos. Plat. XII* De phisicis vero naturaliter agere est de naturis corporum subiecta phisica ratione tractare ; *Dialog. l. 28* Contuli me igitur ad Iudeorum quoque et Christianorum doctrinam et utrorumque fidem et leges sive rationes discutiens ; *Comm. Theod. De Trin. II, 2* Hoc enim dico secundum theologicas rationes: non secundum phisicas vel mathematicas. Que theologice sunt rationes secundum considerationem theologie ; *Comm. Gilb. I, 2, 1 Prol.* Omnium, que rebus percipiendis suppeditant, rationum alie communes sunt multorum generum, alie proprie aliquorum. Scientia et actus *Comm. Theod. De Trin. II, 17* Quod autem ars det scientiam quandoque et non operationem patet ex hoc quod multi sciunt omnes rationes cantandi et non habent operationem quia nesciunt cantare. Et hoc nescire privat actum, non scientiam. Quandoque habetur actus sine scientia sicut in illis patet qui bene cantant et ignorant rationes cantandi. Et ita non habent scientiam. **XI. Sensus ethologicus** A) Sensus communis *Microcosm. cap.141* Omnis enim homo ex naturalis rationis instinctu sibi insitum habet ut amet bonum et odiat malum ; *Policrat. 650A* quae aut ratio communis aut pietas persuasit ; *De planctu nat. 440C* Puellae vero aquarum pulchritudo non solum hominibus suam furaretur rationem, verum etiam coelestes suae deitatis cogeret oblivisci ; *De planctu nat. 457B* Cum enim attestante grammatica, duo genera specialiter, masculinum et femininum, ratio naturae cognoverit. B) Fama, opinio *Comm. Theod. de Trin. II, 29* Unde ibi utendum est ratione, i.e.

opinione. Ratio enim imaginem rerum non veritatem comprehendit. Dicitur autem ratio pro opinione a reor reris quod est opinari ; *Glos. Plat. XLVI* Omnis enim humana ratio aut fama est aut opinio quia vel dicimus que ab ea accepimus et tunc est fama, vel ea que per nos credimus et tunc est opinio. De ratione tamen alia ac opinione *Dialog. l. 182* Sed iam nos hic ratio detinet potius quam opinio.

XII. Sensus methodologicus A) Modus *Periph. 576A* quo modo vel qua ratione ; *Periph. 882 A* non aliter sed eadem ratione ; *Philosoph. Abael. p. 174, l. 9* quemadmodum, id est qua ratione probare possumus ; *Monol. p. 46, l. 25* Quod vero sic simpliciter et omnimoda ratione solum est perfectum, simplex et absolutum. Epitheta *De Trin. f. 176c* miranda ratione invicem sibi alludunt. B) Modus investigandi et disserendi, methodus *Philosoph. Abael. p. 125, l. 42* Ostendi quadam ratione quod dialecticae responsio interrogationis non est una ; *Sent. Lomb. lib. I, dist. XIX, cap. XI, 1* Quod una persona non est maior alia nec tres simul quam una, et hoc ratione ostendit catholica ; *Sent. Lomb. lib. I, dist. XIX, cap. XI, 2* Ratione subtilissima utitur ad ostendendum quod ita sit ; *Sent. Lomb. Lib. I, dist. III, cap. 1, 2* Prima ratio vel modus qua potuit cognosci Deus... Secunda ratio qua potuit cognosci vel modus quo noverunt... Tertia ratio vel modus... Quartus modus vel ratio ; *Monol. p. 31, l. 20* Quod nefas falsitatis aperta ratione destruit et obruit tota, quae supra patuit necessitas veritatis ; *Metal. I, II, 3-4* Est autem ars ratio quae compendio sui naturaliter possibilium expedit facultatem. Neque enim impossibilium ratio praestat aut pollicetur effectum, sed eorum quae fieri possunt quasi <pro> quodam dispendioso naturae circuitu compendiosum iter praebet, et parit ut ita dixerim difficilium facultatem. Unde et Graeci eam methodon dicunt quasi compendiariam rationem quae naturae vitet dispendium, et anfractuosum eius circuitum dirigit, ut quod fieri expedit, rectius et facilius fiat. C) Modus, sensus, aspectus *Comm. Theod. De Trin. II, 34* Sicut enim binarius bis vel quaternarius quater arismethica(sic) ratione tetragonum constituit ita quoque unitas semel tetragonum primum efficit ; *Sent. Lomb. lib. I, dist. XVIII, cap. 2, 1* Utrum Spiritus Sanctus eadem rationem dicatur donum et datum sive donatum ; *Monol. p. 73, l. 1* Hac itaque ratione videntur in illa esse non solum multi patres, et filii, et procedentes, sed et aliae necessitudines ; *Monol. p. 58, l. 21* Nam si idcirco convenienter est ille Pater, et proles eius Filius, quia uterque est Spiritus, cur non pari ratione alteri convenit esse matrem,

alteri filiam, quia uterque est veritas et sapientia ? ; *Monol. p. 78, l. 26* Hinc itaque satis patenter videtur omne rationale ad hoc existere, ut sicut ratione discretionis aliquid magis vel minus bonum sive non bonum iudicat, ita magis vel minus id amat aut respuat ; *Comm. Gilb. I, 37* Quod vero tercio repetitur hoc nomen quod est Deus cum et pater nuncupatur Deus et Filius nuncupatur Deus et Spiritus Sanctus nuncupatur Deus sicut nominis, ratione significandi, sicut et rei illius ex qua horum quisque dicitur Deus ratione propositi, repetitio fit. **XIII. Sensus cosmologicus** A) **Habitus sensu generaliore** *De rat. 164C* Longe enim alia est ratio potestatis sequentis actum, et alia praecedentis ; tantumque hae potestates proprietate suae naturae disjunctae sunt, ut ubi fuerit una non possit esse altera ; *Monol. p. 34, l. 31* Eadem ratio est duplicis intellectus ; *Comm. Gilb. I, 3, 11* Sed ideo dicit unus et alter quoniam alia ratio est numerum rebus inesse, alia res ipsas numero numerare. B) **Convenientia interior** *Sent. Pictav. I, 7, 117-120* Item, quaedam ratio est in Deo aeterna, quae est etiam Deus, per quam facit Deus id quod facit, et dimittit id quod dimittit ; ergo, ea manente, non potest facere quod dimittit, vel dimittere quod facit, quin agat contra illam rationem ; *Metal. IV, 5, 10* Subiungitur ratio hypotheseos, quae necessitate impossibilis eventus, aut non probabilis, propositum astruit ; *Sent. Melod. Lib. I, pars III, I, p. 4, l. 22* Tres quoque deos esse ratione predicationis se putant posse ostendere ; *De eod. p. 27, l. 20* In omnibus etenim una concordiae ratio est. C) **Systema** *De eod. p. 19, l. 27* Hanc eius potentiam Socrates non ignorans universam rei publicae rationem huic regendam distribuit trino rhetoricae generi tres contentionis modos supponens. Aut enim in Capitolio agebatur causa, et deliberativa, aut in Martio campo, et demonstrativa, aut in foro, et iudicialis vocabatur. D) **Species, genus** *Sent. Pictav. I, 1, 37* Quasi totum ideo dicitur quia nec omne totum eiusdem rationis vel generis est. **XIV. Sensus glottologicus** A) **Sensus, significatus vocis** *Summ. Crem. X.B.2* Item de ratione. Pascha dicitur hebraice, latine immolatio. Et Christus comedit pascha, ergo immolatum ; sed tunc nichil immolabatur nisi agnus ; ergo de agno comedit Dominus ; *Metal. I, 2, 4* Analeticorum quidem perutilis est scientia, et sine qua quisquis logicum profitetur, ridiculus est. Ut vero ratio nominis exponatur, quam Graeci analeticen dicunt, nos possumus resolutoriam appellare ; *Quest. de div. pag. 16* Conantur et alii aliam assignare rationem. B) **Sensus largiore quodam aspectu** *Sent.*

Melod. lib. I, pars I, XVIII, p. 205, l. 25 Nam si litteralem significationem solum haberet, figure careret ratione que non solum quod videtur significare debet, sed id quod ea velatur. **XV. Sensus ontologicus** A) Fundamentum generaliter philosophicum *De unit. Dei I, 39* Tres etenim sunt rerum rationes propter quas fiunt, secundum quas et per quas, quae omnes et commune dici possunt. Sed et primae maxima ex parte finales, secundae formales sive exemplares, tertiae explicatrices, quae et ipsae formales nominari valent, eo quod non per eas solum, sed iuxta eas quodammodo res formetur ; *Comm. Gilb. I, 2, 94* Nam quicquid vero nomine subiectum accidentibus et eorum materia dicitur, oportet ut primum - si non tempore, saltem ratione - sit ex aliqua subsistentia ut per hoc eiusdem habeat propria ; *Sent. Lomb. lib. II, dist. XXX, cap. XV, 2* Responsio ubi aperitur qualiter fuerint in Adam secundum rationem seminalem, et quomodo ex eo descenderunt, scilicet lege propagationis. Quibus responderi potest quod materialiter atque causaliter, non formaliter, dicitur fuisse in primo homine omne quod in humanis corporibus naturaliter est. Cf. ἰδέσθαι *Platonis Metal. II, 17, 70* Hae autem ideae id est exemplares formae, rerum primaevae omnium rationes sunt, quae nec diminutionem suscipiunt, nec augmentum, stabiles et perpetuae, ut et si mundus totus corporalis pereat, nequeant interire ; *Monol. p. 24, l. 13* Nullo namque pacto fieri potest aliquid rationaliter ab aliquo, nisi in facientis ratione praecedat aliquid rei faciendae quasi exemplum ; *Monol. p. 40, l. 7* Quoniam itaque loci haec est vel temporis conditio, ut tantummodo quidquid eorum metis clauditur, nec partium fugiat rationem, vel qualem suscipit locus eius secundum quantitatem, vel qualem patitur tempus eius secundum diuturnitatem. B) Mens, animus sensu generaliter philosophico *Comm. Gilb. I, 2, 53* Nam neque ylen tamquam sui principium et materiam, in qua eam esse necesse sit, habere potest usia principii : neque sic inest principio, i.e. Deo ut posterioris rationis naturas aliquas vel se componentes vel sibi adiacentes habeat in illo ex quibus ipse sit et quarum - ex causa prioris ad cuius pertinet potestatem - materia esse possit. C) Ratio naturalis in rebus *Philosoph. Abael. p. 205, l. 26* Quippe ex naturali ratione unusquisque argumentum scit componere. D) Necessitas *Cur Deus p. 48* qua scilicet ratione vel necessitate deus homo factus est. **XVI. Sensus theologicus** A) Deus-Ratio *De unit. Dei II, 17* Deus, qui ratio ipsa summa, infinita et immensa <est>, operari nihil « irrationabiliter » vel

irrationabile potest. B) Mens Dei Ratio divina - rationes mundi *De unit. Dei II, II* Non enim Deus ut nos rationes alias intelligit et ratione alia intelligit, sed quas intelligit aeternas ipsae sunt et qua eas intelligit, ratio ipsius aeterna. Cum autem dicitur ratio ipsius, notatur natura, tamen rationes rerum vel rationes aeternae distinctiones quaedam in ratione et natura una ; *Glos. Plat. CII* Nisi enim videremus in motu eorum, nec rationem nec consilium Creatoris perpendere, quod modo agimus. Prosopopoeia *Cosmogr. 184r* Porro Nois ego, dei ratio profundius exquisita, quam utique de se, alteram se, Usia prima genuit - non in tempore sed ex eo quo consistit eterno - Noys ego, scientia et arbitraria divinae voluntatis ad dispositionem rerum, quemadmodum de consensu eius accipio, sic mee administrationis officia circumduco.

Milena MINKOVA